

non esset, Bagdadi novam sectam condidit. Judaei traditioni ac Talmudi fideles dehinc talmudistae vel rabbinistae seu rabbanitae vocati sunt. Ipse Anan patriarcha (nasi) asseclarum suorum factus, postea (circa an. 750.) in Palaestinam migravit, et Hierosolymis synagogam fundavit. Medio aevo qaraitae maxime in Aegypto, Chersoneso Taurica (Krimia) et Constantinopoli propagati sunt.

Qaraitae studia biblica, linguam Hebraicam et exegesim eruditam valde colebant, et ipsos rabbinistas a solo Talmudis studio depulsos ad idem faciendum coegerunt. Praeterea qaraei ad studia critica se applicarunt, et celeberrimum opus criticum, *Masoram* (= traditio sc. lectionis) composuerunt. Nominatim *R. Mocha* et filius *R. Mošê* qaraitae Tiberiadenses signa vocalium et accentuum hodieum usitata induxerunt. Ceterum in schola Tiberiadensi jam ante qaraeos studia masoretica viguerant. Etiam signa vocalium, sed super consonantes scripta, jam antea a rabbinis Babyloniae (*R. Moses Hannaqdan* = interpunctator, Surae) adhibita erant. Ratio tamen scribendi qaraitarum est melior; ideo Biblia secundum regulas Masorae a qaraitis saec. X. edita, postea etiam a rabbanitis adoptata sunt. Ad qaraitas etiam ascetae Hierosolymitani pertinent, qui *Abhelê Qijjon* (*lugentes Sion*) vocantur.

### § 125.

#### Versiones et midrašim.

1. — Versiones Bibliorum a Judaeis factae, non solum ideo ad historiam exegesis pertinent, quia etiam versio est interpretatio sensu latiore, sed maxime ideo, quia textui originali minus accurate inhaerentes, explicationem tunc temporis vigentem in textum versionis plerumque inferunt. Quum tamen descriptio et historia versionum in introductione tractari soleat, hoc loco tantum antiquissimas versiones ad exegesim pertinentes breviter perstrinxisse sufficiat.

a) *Versio Graeca Alexandrina LXX interpretum* est antiquissima versionum a Judaeis factarum. Pentateuchus saec. III. Alexandriae translatus est, quem versio aliorum librorum saec. III. et II. a. Chr. secuta est. Versio haec a textu masoretico saepe, etsi non in essentia fidei et morum, differt. Multae differentiae arbitrio interpretum sunt attribuendae; at quum hi codicibus Hebraicis saeculi III-i a. Chr., itaque codicibus masoretarum mille annis antiquioribus, usi sint: multae certe versionis differentiae ex lectione antiquissimorum codicum ortae esse possunt, quod confirmat frequens versionis Alexandrinae cum Pentateucho Samaritano adversus textum masoreticum consensus. Erraret

ergo, qui sine accuratiore examine textum masoreticum versioni Alexandrinae semper et ubique praeferret. Ipsae liberiores translationes LXX interpretum, exegesim Judaeorum traditam referre possunt, et saepe certe referunt. Falsa tamen est sententia nonnullorum (e. g. Benj. Kennikot) Judaeis, quod textum Hebraicum in disputatione contra Christianos jam ante masoretas (atque ante versionem S. Hieronymi) corrupissent, accusantium. Tali enim suspicioni collatio antiquissimarum versionum contradicit. Mutatio, si facta sit, causis fortuitis attribuenda. Et constat, Judaeos aliis mediis, puta falsa et contorta locorum Messianorum interpretatione argumenta Christianorum declinasse. Versio Alex. tempore Christi et usque ad saeculum II. apud Judaeos etiam Palaestineses plurimum valebat (e. g. Josephus Fl. ea plerumque utitur), Philo eam plane inspiratam habet. Saeculo autem II. Judaei cum Christianis disputantes, quum vaticiniis e versione Alexandrina depromptis urgerentur, hanc rejecerunt, ut interpretationes suas halahicas textui Hebraico, Christianis minus noto, ingerere possent; ii autem, qui versione Graeca indigebant, versionem Aquilae verborum tenacissimam, sed exegesi rabbinicae congruentem adoptarunt.

b) *Paraphrases Chaldaicae (targumim תרגומים = versiones)* antiquissimae (e saeculo I. post Chr.) sunt: Targum *Onqeli* in Pentateuchum, et *Jonathanis ben Uziel* in Prophetas (prios et posteriores), quae interpretationem Judaeorum aequalium exhibent. Onqelos magis cum versione Alex. quam cum textu masoretico consonat, et plures locos in Messiam refert, quos posteriores Judaei Messianos esse negant. Quod aut lectionem Hebraicam tunc versioni Alexandrinae congruisse probat, aut potius tales interpretationes Messianas in traditione atque scholis Judaeorum saec. I. viguisse, et postea demum a rabbinis, Messiam praeter Christum frustra expectantibus, derelictas esse. Targum Jonathanis, quum additamenta recentiora continere videatur (imo a nonnullis saec. IV. in praesentem formam redactus dicatur), minoris est ad cognoscendam antiquorum Judaeorum interpretationem utilitatis. Reliqui autem targumim multo recentiores simpliciter rabbinicas referunt interpretationes.

c) Magni momenti est etiam testimonium versionis *Syriacae (Pešito) A. T.*, quae verisimiliter saec. primo Christiano a Judaeis vel Judaeo-christianis facta, saepe cum LXX et Onqelo convenit, et lectionem antemasoreticam, atque in multis traditionem exegesimque Judaicam illius aetatis refert.

2. — *Midraš* (מדרש = inquisitio, studium, exegesis) sensu lato est omnis interpretatio rabbinica, plerumque allegorica; sensu autem

stricto midrašim sunt opera exegetica rabbinorum antiquorum, S. Scripturam sensu allegorico, morali vel anagogico exponentia, sensum litteralem negligentia et fabulis plena. Ad exegesim eruditam parum prosunt, nisi quod ideas Judaeorum coaevorum et nonnullas res antiquas illustrant. Scripti sunt plerumque saeculis II—X. post Chr. Ratione auctoritatis, quam sibi vindicant, alii sunt, qui (saltem maxima ex parte) vim halakhae habent, alii haggadam continent.

A) *Midrašim halakhici*, a scholis rabbinorum Jišma'elis ben Eliša' et 'Aqibhae saec. II. compositi, de sententia multorum per plura saecula ore in scholis traditi, et ab amoraeis multis additamentis aucti, demum saeculo VI. descripti. Explicant partes legales quattuor posteriorum Moysis librorum. Genesis tota, Exod. cc. 1—11. et partes aliorum librorum historicae, quum narrationes, non leges contineant, ad halakham constituendam apta non fuerunt. Ideo studia halakhica in scholis tantum a cap. 12. Exodi incipiebant. Schola et Jišma'elis, et 'Aqibhae in omnes partes legales librorum Moysis midrašim halakhicos composuerunt, ut fragmenta et compendia, quae exstant, probant. Sed sequentes tantum midrašim halakhici integri ad nos pervenerunt.

1. *Mekhilta* (מְכִילְתָּא = mensura, norma, lex, mos, ritus). Auctor est schola Jišma'elis, saec. II. Explanat locos Exodi liturgicos cc. 12—23. cc. 31. et 35.

2. *Siphra* (סִפְרָא = liber) est explanatio Levitici, cujus argumentum e schola 'Aqibhae, imprimis a R. Jehudā ben Ḥ'aj (saec. II.) ortum, et fors a R. Chijja in formam libri redactum est. Liber tamen rabino Rabh (saec. III.) adscribitur, quia per hunc in Babylonia innotuit. Ultima compositio (et ut multis placet, etiam descriptio) verisimiliter a saboraeis perfecta est.

3. *Siphre* (סִפְרֵי) est duplex opus, cujus prima pars est expositio libri Numerorum (a cap. 5.) e schola R. Jišma'elis; altera pars est expositio Deuteronomii partim halakhica e schola 'Aqibhae (imprimis a R. Šim'on ben Jochaj saec. II.), partim haggadica e schola Jišma'elis. Sed utrumque opus rabino Rabh adscribitur, qui ea in Babylonia induxit. Ultima compositio utriusque a saboraeis facta esse videtur.

B) *Midrašim haggadici* praecipui ex multis.

1. *Rabboth* (רַבּוֹת) sunt magni commentarii in quinque libros Moysis et quinque megilloth (Cant., Ruth, Threnos, Praed., Esther) e scriptis antiquorum rabbinorum collecti saec. IV. ab amoraeis et postea a saboraeis in Babylonia. Pars antiquissima est Berešith-Rabba, quae ab amoraeo Rabbā bar Nachmani et fratre ejus (init. saeculi IV.) scripta, saltem inchoata esse fertur, sed ut videtur perperam.

2. *Tanchuma* (consolatio) est interpretatio Pentateuchi, quae rabino Tanchuma ben Abba (saec. IV.) adscribitur; sed certe ab aliis continuata est, et a gaonibus ad finem perducta.

3. *Pesiqta* (sectio vel decisio) est explicatio pericoparum sabbatarum e tempore gaonum.

4. *Seder 'olam rabba* et *seder 'olam zuta*, chronicon Judaeorum majus et minus; illud rabino Jose ben Chalaphtha adscriptum, sed quoad formam certe recentius, hoc autem saeculo XII. p. Chr. scriptum.

5. *Pirqê* (fragmenta, capitula) *R. Eli'ezer ben Hyrkanos* est historia sacra falso huic rabino adscripta; revera ex tempore gaonum.

6. *Jalqut* (pera) *Šim'oni* exhibet haggadas antiquiorum midrašim et Talmudis collectas et ad singulos A. T. libros additas. Composuit R. Simeon Kara saeculo XI. p. Chr.

*Editiones midrašim* praecipuae sunt sequentes.

*Mekhilta*, *Siphra*, *Siphre* hebraice cum versione Latina edita sunt apud Ugolini, Thes. antiqu. sacr. t. XIV. et XV. Praeterea *Mekhilta* typis impressa est: Constantinop. 1520.; deinde a J. H. Weiss, Vindob. 1865. et a M. Friedmann, Vindob. 1870. *Siphra* Venet. 1545. 1609. sqq.; deinde a M. L. Malbim, Bukarest, 1860. a Weiss, Vindob. 1862. *Siphre* Venet. 1545.; deinde a M. Friedmann, Vindob. 1864. — *Rabboth* prodierunt: Constant. 1512. Venet. (D. Bomberg) 1545. 1566. Cracov. 1587. sq. 1608. Francof. a. O. 1693. 1705. 1732. Lipsiae, 1881—85. Vilnae, 1884. *Rabboth* in Pentat. in Latinum vertit Conr. Pellicanus. Etiam versio Germanica existit in Aug. Wünsche, Bibliotheca rabbinica, Sammlung alter Midraschim, Leipzig, 1880—85. — *Tanchuma*, Constant. 1520. sqq. 1528. Venet. 1545. Mantuae, 1563. Veronae, 1595. Francof. a. O. 1701. Stettin, 1864. Vilnae, 1885. (editio critica et explicata.) — *Pesiqta* Lyck, 1868. Vindob. 1880. — *Seder 'olam rabba et zuta* Amstelod. 1699. (a. Jo. Meyer.) — *Pirqê Eli'ezer* Const. 1514. Venet. 1544. etc. — *Jalqut*, Salonichi, 1521—27. Venet. 1566. Cracov. 1595. sq. Francof. a. M. 1687. Francof. a. O. 1709. — Collectanea nonnullorum minorum midrašim edidit Ad. Jellinek, Beth hamidraš, Lips. et Vindob. 1853—77.

## § 126.

### Talmud et ejus additamenta.

1. — *Talmud* (תַּלְמוּד = doctrina) est corpus legum, sententiarum et disputationum, a legisperitis antiquissimis eorumque scholis traditarum, et interpretationum ad eas scriptarum. Magno huic operi explicationes multorum locorum biblicorum et alia multa ad studium bibl.

pertinentia inseruntur. Ratione materiae Talmud, ut omnis doctrina rabbinica dividitur in halakham et haggadam, idest legem et doctrinam seu dissertationem. Ratione autem formae Talmud constat ex mišnâ et duplici gemara: altera Palaestinensi, minus recte Hierosolymitana dicta, et altera Babylonica. *Mišnâ* (hebr. מִשְׁנָה vel rabb. מִשְׁנָה, מִשְׁנֵיִת, repetitio, sc. altera lex) est quasi corpus juris religiosi, moralis et civilis Judaeorum, seu corpus legum (halakharum idest mišnarum) rabbinicarum (tannaeorum) ex traditione derivatarum, a R. Jehudâ Hannasi anno 189. sqq. post Chr. collectarum. *Gemara* (גְּמָרָא perfectio sc. doctrinae), quae nonnunquam etiam mišnae opposita sola Talmud appellatur, est illustratio et explicatio mišnae singulis ejus capitibus commentarii instar ab amoraeis adjuncta, et exeunte saeculo III-o in Palaestina, saeculo autem V-o in Babylonia collecta. Materia mišnae maximam partem (exceptis tractatibus Pirqê Abhoth et Middoth) est halakha, materia gemarae est partim halakha, partim et plerumque quidem haggada. Saepe tamen tam in mišnâ, quam in gemara difficulter distingui potest, quae sit halakha et quae haggada. Mišnâ cum gemara Palaestinensi efficit Talmudem Palaestinensem seu Hierosolymitanum (Talmud ereç Jisrael, Talmud Jerušalmi); et eadem mišnâ cum altera gemara sc. Babylonica quater tanto prolixiore constituit Talmudem Babylonicum (Talmud Babhli).

Mišnâ et cum ea gemara dividitur in sex libros *ordines* (סְדָרִים, סְדָר) vocatos. Ordines dispertiuntur in *tractatus* (מִסְכָּתוֹת pl. מִסְכָּתוֹת hebr. מִסְכָּת); tractatus in capita (פְּרָקִים, פְּרָקִים). Unum caput est, quod uno die in scholis pertractabatur. Capita constant ex paragraphis, seu thesibus, legibus, quae etiam mišnae vel (in Talm. Palaest.) halakhae vocantur. Tractatus omnes hodie sunt 63; olim ob aliorum conjunctionem, aliorum divisionem erant 60. Summa capitum est 523.

*Libri seu ordines* Talmudis sunt sequentes. 1. Zera'im (זְרַעִים semina, sata) agricultura. Habet 11 tractatus et 74 capita. 2. Mo'ed (מוֹעֵד festa). 12 tract. 88 cap. 3. Našim (נָשִׁים mulieres) matrimonium. 7 tract. 71 cap. 4. Neziqin (נִזְקִין damna, injuriae) lex civilis et criminalis. 10 tract. 73 cap. 5. Qodašim (קֹדֶשִׁים res sacrae) sacrificia, benedictiones, lustrationes. 11 tract. 91 cap. 6. Teharoth (טְהָרֹת puritates) immunditiae rituales. 12 tract. 126 cap.

*Tractatus* Talmudis ad studia biblica utiles et frequentius citati sunt sequentes. *Ord. I.* 1. Berakhoth, benedictiones, orationes. 5. Šebh'ith, annus sabbaticus. 11. Bikkurim, primitiae. — *Ord. II.* 1. Šabbath, sabbatum. 3. Pesachim, pascha. 4. Šeqalim, sicli, tributa templi. 5. Joma (kippurim), dies sc. expiationis. 6. Sukkâ, tabernaculum, festum taber-

naculorum. 8. Roš haššanâ, festum novi anni. 9. Ta'anith, jejunium. 10. Megillâ, volumen, lectio librorum sacrorum. 12. Chagigâ, festivitas, celebratio festorum. — *Ord. III.* 1. Jebhamoth, matrimonium leviratus. 2. Kethubhoth, contractus matrimonialis. 3. Nedarim, vota. 4. Nazir, naziraeus. 5. Gittin, libellus repudii. 6. Sotâ, ritus zelotypiae. 7. Qiddušin, sponsalia. — *Ord. IV.* 1. 2. 3. Babha gamma, Babha meç'â, Babha bathra, prima, media, ultima porta, sc. de damnificatione, venditione, locatione etc. 4. Sanhedrin, tribunal, judicia. 6. Šebh'oth, juramenta. 8. 'Abhodâ zarâ, idololatria. 9. Pirqê Abhoth, capita, sententiae patrum (antiquissimorum legisperitorum). — *Ord. V.* 1. Zebhachim, sacrificium cruentum. 2. Menachoth, sacrif. incruentum. 4. Bekhoroth, primogeniti. 9. Tamid, sacrificium juge. 10. Middoth, mensurae sc. templi et sacra supellex. — *Ord. VI.* 1. Kelim, vasa, eorum immunditiae. 3. Nega'im, plagae, lepra. 4. Parâ, vacca juvencula, sacrificium vaccae rufae. 7. Niddâ, immunditia mulieris, menstruatio. 9. Zabhim, fluentes, polluti. 11. Jadajim, manus sc. lotiones manuum.

2. — Si de *auctore* Talmudis quaeritur, distinguendi sunt fontes legis traditae, auctores dictorum, redactores collectionis et de sententia multorum etiam scriptores. Fons *legis traditae* a rabbinis (teste etiam Majmonide) doctrina verbalis, Moysi in monte Sinai tradita habetur. Sed talis traditionis antiquae ante tempus Machabaeorum nulla sunt vestigia. (Cf. supra p. 269.) Auctores *dictorum* mišnae sunt rabbi antiquissimi a saec. I. a. Chr. usque ad finem saeculi II. viventes, et dictorum gemarae rabbi usque ad exitum saeculi V. post Chr. in Palaestina, et a saec. III. etiam in Babylonia viventes; ergo sopherim, tannaim et amoraïm. *Redactor* autem *mišnae* secundum antiquissimam et unanimem traditionem est R. *Jehudâ Hannasi*, qui anno 189. antiquioribus collectaneis rabbinorum 'Aqibhae et Meir usus, hoc mišnarum corpus edidisse dicitur, cujus collectio, certe a patriarchis approbata et scholis examinibusque praescripta, jam apud amoraeos auctoritatem canonicam obtinuit. *Redactor* autem *gemarae Palaestinensis* a Majmonide et aliis R. *Jochanan bar Nappacha* amoraeus saec. III. dicitur; sed quum in ea auctoritates Jochanano recentiores citentur, haec aliter, quam de schola Jochanan Tiberiadensi saec. III. et IV. florente accipi non possunt. Redactores autem *gemarae Babylonicae* R. *Aši* init. saec. V. et R. *Abhina II.* exeunte saec. V. amoraei dicuntur; ille collectionem et ordinationem, hic descriptionem incepisse videtur, opus tamen verisimiliter saboraei ad finem perduxerunt. Sed non est dubium mišnam post Jehudam, et gemaras adhuc tempore saboraeorum additamentis locupletatas esse. Utrum autem illi auctores mišnam et gemaram

*scriptis mandaverint*, an propter vetitum scriptionis ore tantum in scholis tradiderint et totum Talmudem demum saboraei descripserint, disputatur. Probabile est, mišnam si non a Jehudâ, certe ab amoraeis, et saltem partem gemarae ab iisdem descriptas esse. Ultimi autem redactores et scriptores praesertim gemararum certe saboraei saec. VI. habendi, qui adhuc multa in eas addiderunt. Legalem auctoritatem Talmud demum a gaonibus saec. VII—VIII. accepit.

3. — *Mišnâ* tres habet *formas* seu *recensiones*. a) Prima est in manuscriptis et editionibus mišnae solius separatis. b) Mišna Talmudis Palaestinensis, cujus non ita pridem quattuor tantum priores ordines noti erant; sed duo ultimi ordines recentius inventi sunt. (Editi a Lowe ex quodam manuscripto Cantabrigiensi anno 1883.) c) Mišnâ Talmudis Babylonicæ. Recensiones tamen istae inter se essentialiter non differunt.

*Gemara* integra neutrius Talmudis exstat. Ex 63 tractatibus mišnae gemara Palaestinensis ad 36 tractatus, Babylonica ad 37 tractatus adest. Omnes fere tractatus quattuor priorum ordinum gemaram Palaestinensem habent; tractatus autem primus Berakthoth et ordines a secundo ad quintum prope toti gemaram Babyloniensem habent. Gemara ergo quinque priorum ordinum fere integra in alterutro aut in utroque Talmude existit; ex ordine VI. tantum tractatus Niddâ gemaram (etquidem utramque) habet. At neque tractatus, qui exstant, omnes integri sunt. Gemara Palaestinensis verbalis et verisimiliter etiam scripta olim completa et integra erat, ergo etiam tractatus 27 nunc desiderati exstiterunt; saepe enim apud veteres (in gemara exstante, apud tosaphistas etc.) etiam tales gemarae Palaestineses citantur, quae nunc desunt. At nihil indicat, gemaram Babylonicam scriptam unquam completam fuisse, ergo ad reliquos 26 tractatus exstitisse. Hi enim, qui de rebus ad Palaestinam pertinentibus agunt, et recentioribus Babyloniae conditionibus minus accommodati atque utiles erant, in scholis Babyloniae verisimiliter negligebantur.

*Lingua* mišnae et partis (praesertim haggadae) utriusque gemarae est nova Hebraica, quae aramaismis grammaticalibus et lexicalibus, item vocibus Graecis ac Latinis corrupta est. Aliae partes gemarae Palaestinensis lingua Aramaica occidentali (Chaldaicae biblicae et targumicae simili sed corruptiore), partes autem gemarae Babylonicae lingua Aramaica orientali (Syriacae simili) sunt scriptae. Utraque tamen lingua Aramaica hebraismis scatet.

4. — *Auctoritas et utilitas* Talmudis. Rabbinum traditiones (halakhas) in Talmude conservatas a Moyse repetierunt, ideo jam amoraei iis sen-

sim eandem ac Torae auctoritatem tribuerunt, imo in praxi Talmudem ipsi Torae praetulerunt. E duobus Talmudibus mišnâ et gemara Palaestinensis, utpote antiquior, certe majorem habet auctoritatem historicam et philologicam. Judaei tamen medio aevo et postea Talmudem Babylonicum majoris aestimarunt, qui ut recentior, circumstantiis eorum et indigentis magis responderet. Qaraitae Talmudem jam medio aevo rejecerunt. Moderni Judaei orthodoxi Talmudem adhuc ut fontem religionis ac legum suarum maximi faciunt. Revera judaismus medii et novi aevi, a religione Moysis, prophetarum et Machabaeorum tam diversus, vitiis quam virtutibus patribus suis similior, Talmudis maxime est filius ac discipulus. Ipsorum Judaeorum multi agnoscunt, Talmudem esse fontem, fundamentum et animam judaismi. Fatendum tamen est, Talmudem a multis Judaeis recentioribus, praecipue illis, qui neologi vocantur, neque nosci, neque pro lege haberi.

Quod attinet ad *auctoritatem et utilitatem* Talmudis in scientiis, praesertim *historicis et biblicis*, sequentia notanda sunt.

Quum multae sint in Talmude sententiae rabbinorum Christo et apostolis aequalium vel supparum, multaeque inveniuntur relationes, traditiones et allusiones, quae ad res Judaeorum antiquas, imprimis religiosas pertineant: Talmud certe tum historiae theologiae Judaicae, tum archaeologiae biblicae multam utilitatem praebet. Ipsa, ceterum satis rara Bibliorum citata lectionem et historiam textus, lingua autem Hebraica Talmudis, etsi nova et corrupta, linguam Antiqui Testamenti aliquando illustrant. Hinc studia talmudica studiosis scientiarum biblicarum commendanda.

Valde tamen cavendum est, ne auctoritas et utilitas Talmudis *nimum extollatur*, eique semper fides habeatur. Etenim

a) De rebus Christo et plane Machabaeis antiquioribus talmudistae vagas tantum et incertas traditiones habuerunt, a rabbinis scientiarum profanarum et methodi historicae plerumque ignaris male intellectas, depravatas ac fictas. Hinc relata eorum antiquissima, nisi aliunde confirmentur, raro plenam fidem merentur.

b) In ipsis rebus Christo et apostolis coevis rabbinum, utpote recentiores et partium studio ducti, certe minore, quam Philo, Josephus Fl. et alii antiquissimi scriptores, ipsi nonnunquam errantes, fide digni sunt.

c) Talmud de Christo, apostolis et primis religionis Christianae fati loquens minorem fidem, quam Patres et ipsi haeretici ac libri apocryphi meretur. Talmud enim, etsi antiquis traditionibus et nominibus gloriatur, tamen relative novus est; ipsaeque auctoritates citatae

plerumque recentiores, quam e. g. Patres apostolici, Justinus, Origenes, Tatianus, Marcion, Celsus, et nonnullae inscriptiones in catacumbis. Praeterea vix aliquis rabbinorum antiquissimos quosdam ecclesiae doctores scientia profana aequavit, scientia antiquitatis Christianae certe nemo. Rabbinos autem plerosque internecino Christi, Christianorum et religionis Christianae odio flagrare constat. Iis ergo et scientia rerum Christianarum, et animus aequus atque a partium studio alienus manifeste deest.

d) Quoad vaticinia Messiana certum est, rabbinos nec meliores Ant. Testamenti codices, quam LXX interpretes, habuisse, nec linguam Hebraicam biblicam iis vernaculam fuisse, nec eos tantum sensum grammaticum et logicum, quantum Patres rhetoricae peritos, habuisse. Quidam Patres ipsam linguam Hebraicam scientiam Judaeorum aemulati sunt. Praeterea constat, rabbinos contra Christianos disputantes ad violentissimas et evidenter falsas interpretationes, si non ad falsas lectiones, refugisse.

e) Talmud tum propter memoriam labilem et traditionem verba-lem, qua per plura saecula conservabatur et conditioni temporum accommodabatur, tum propter multa additamenta, demum a saboraeis (imo gaonibus) e traditione hausta et textui tradito inserta, valde corruptus ad nos pervenit. Ergo etiamsi textus mišnae et gemarae in scholis traditus vel primum descriptus fidedignus fuisset, tamen fidedignitas textus exstantis dubia maneret.

f) Talmud innumeris repugnantibus, sophismatibus, fabulis et ridiculis scatet, adeo, ut jam ob internam suam naturam criterio veracitatis destituatur.

g) Nonnulla Talmudis dicta cum locis quibusdam N. T. saepe in ipsis verbis conveniunt. Ratio est, quod ea ex communi fonte manant, scil. ex libris A. T., vel ex traditione Judaica. Nec quidquam obstat, quominus Christus et apostoli aliquas sententias scholarum Judaicarum tunc vulgares, per se rectas et bonas adsciverint. Imo Paulum constat Gamaliele magistro usum esse. At etiam scholae rabbinorum nonnulla e doctrina Christi et Christianorum haurire potuerunt.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Talmud nimium cultum ac ridiculum Torae et rabbinis praestat. (V. supra p. 268.) Rabbinos prophetis aequiparat atque anteponit. — Messiam fundatorem regni terrestris et universalis Judaeorum exspectat; sed praeter Messiam gloriosum de altero etiam Messia patiente loquitur. Deinde docet mundum Judaeorum gratia creatum esse, alios homines tantum pro Judaeis adesse, omnis juris expertes et dilectione indignos. Non-Judaei *gojim* (gentes, gentiles), *akhum* (acrostichon ex 'abhdé kokhabhim umazzaloth

5. — *Manuscripta* Talmudis pauca exstant; antiquissima saeculo XII. antiquiora plane desunt. Christiani enim multa Talmudis exemplaria igni dederunt, ipsique Judaei exemplaria absconderunt.<sup>1</sup> Ipsa manuscripta, quae supersunt, lectionibus variantibus scatent. Etiam editio critica deest. Praeterea censores Christiani locos in Christum et Christianos injuriosos, praesertim in editionibus recentioribus omitti jusserunt, aut ipsi Judaei, ut se vexationibus eximerent, eos locos sponte omiserunt vel correxerunt. Sed ejusmodi partes omissae plerumque spatio vacuo vel aliis signis indicabantur, imo nonnunquam in separatis fasciculis anonymis ad usum scholarum divulgabantur. Similiter loci Christianis faventes, e. g. de Memra, de Messia patiente, a Judaeis suppressi sunt. Ideo tantum manuscripta et antiquissimae editiones integrae in quaestionibus talmudicis auctoritatem habent.

Praecipuae editiones Talmudis sunt sequentes.

a) *Mišnae*: Neapoli, 1492. prima editio. Cum comment. Majmonidae. — Venetiis, Justiniani, 1546—50. — Venetiis, 1606. cum comment. Majmonidae et 'Obhadja di Bertinoro. — Amstelodami, 1646. (Textus cum vocalibus.) — Cantabrigiae, W. H. Lowe, 1883. (Mišna Palaestinensis.)

b) *Talmudis Palaestinensis*: Venetiis, D. Bomberg, 1523. sq. prima editio agente Leone X. Pontifice. — Cracoviae, 1609. cum brevi comment. — Praeterea plures editiones singulorum tractatum. Talmud Palaestinensis in uno vel quattuor voluminibus edi solet.

c) *Talmudis Babylonici*: Soncino et Pesaro, circa 1500. Tractatus 23, quorum pars periit. — D. Bomberg, Venetiis, 1520—23. Prima editio completa, agente Leone X. Pontifice. 12 tomi.<sup>2</sup> Multa

= servi stellarum et zodiaci sc. astrologiae), Christiani insuper *mešummad* (persecutionem passus, apostata, vel devastatus), *min* (haereticus), *noqri* (Nazarenus) etc. vocantur. Non-Judaei saepe variis animalibus comparantur. Talmud Christianos magis quam gentiles odit; ceterum inter gentiles ortus non multa de Christianis loquitur. — Ubi Jesum et B. Mariam memorat, eos odio atque calumniis prosequitur; tamen patet, rabbinos pauca, eaque ex fontibus Christianis corruptis de iis scivisse; e. g. Jesum Lyddae suspensum vel lapidatum esse dicunt. At quum Talmud multorum diversissimae indolis rabbinorum sit opus, non est mirandum, praeter multa stulta atque odiosa, multa etiam prudenter, pulchre atque humane dicta eo contineri.

<sup>1</sup> Anno 1244. Parisiis et in Gallia 24 currus pleni Talmudis et aliorum scriptorum rabbinicorum combusti sunt. Anno autem 1553. et seqq. Romae, Anconae, Venetiis, Bononiae et alibi 12,000 voluminum Talmudis et aliorum librorum rabbinicorum igni data.

<sup>2</sup> Pleraque editiones Talmudis Bab. 12 tomis fol. continentur, et ipsi numeri paginarum in diversis editionibus congruere solent.